...trus Alex.

Bieganzewicz Adalb. Joan. Cantii: Maesta Niobe, Mater Universitas.

MÆSTA NIOBE,

Mater Universitas;

dolendo super obitu,

SENIORIS SUI PATRIS,

Perillustris olim Clarissimi & Admodum Reverendi Domini,

D.M. PETRI, ALEXANDRI, SZYMAKOWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiarum Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam PRÆPOSITI, Parochialis in Nasiechowice CURATI,

Viri de Ecclesia & Republica literaria meritissimi;

Dum

in Collegiata S. Floriani Ecclesia,

magno Ordinum Academicorum dolore,

justa Ei Funebria persolverentur;

ad posthumam primi Sacra in Facultate DOCTORIS memoriam;

lugubrî calamô

A

M. ADALBERTO, JOANNE CANTIO, BIEGACZEWIC,

Sacræ Theologiæ PROFESSORE, Collega Majore, Ecclesiæ Collegiatæ D. ANNÆ Cracoviæ DECANO, Parochialis in Chrzanow PRÆPOSITO, in Zielonki CURATO,

PRÆSENTATA.

Annô Domini 1754. Die 31. Octobris

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

MÆSTA NIOBE, Mater Universitas.

Date lachrimas Academici?
omnes Vestrûm Heraclitos esse volo,
Democritum neminem.
Doloris scæna agitur, jocosa procul sunto theatra.
Si quando
filios matrizare compertum;
hic profectò nisi quispiam dolenti Matri condolueris,
lugenti colluxeris,
lachrimanti collachrimatus fueris,
abortivum te partum, non verum Matris filium dixero.
Pullum induta Genitrix vultum,
quid comicam nate adornas faciem? quid insipidum Satyrā ludis?
Musica in luctu importuna narratio;
grande tormentum insultans mærori lætitia.
Viperinis id tantúm peculiare germinibus,
dolentium viscera rodere matrum, ut suo in lucem saltui via pateat.
At verò
feroces quantumvis tamen rugienti Leænæ corrugiunt catuli,
gementi Tygridi Tygrides, Pardo congemiscunt Pardi.
Si iste feris in animantibus doloris sensus,
quomodo non longè major in homine?
Unicum si exceperis Neronem;
infamem illum bis matricidam,
semel cum Agrippinæ funera, denuò cum funesta Romæ incendia inferret:
dolentium lachrimis Matrum lachrimæ,
suspiriis suspiria,
gemitibus nuspiam filiorum defuêre gemitus.

Mater

Mater nostra Universitas,
non jam super levi natorum turba,
ast lugubribus super fatis, & dolendo multùm obitu,
Perillustris olim, Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini,
D. M. PETRI, ALEXANDRI,
SZYMAKOWSKI,
Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris,
Ecclesiarũ; Collegiátæ S. Floriani PRÆPOSITI,
Parochialis in Nasiechowice Curati,
Senioris sui Patris,
Viri de literaria Republica,
æquè ac de Ecclesia DEI longé meritissimi,
mæstam Nioben agit,
collapsum sui fulcrum deplorat,
submotam Columnam luget,
ereptum grandœvi decus capitis deflet,
amissos venerandi honores senii indolet,
Unius tristi in fato Viri,
multiplicem offusîs oculîs jacturam spectat,
plura cùm suspiriis damna computat,
plura cum lachrimis dispendia numerat.
Mærenti sic Matri,
adeste in partem mæroris Filii,
junctîs suspiriîs mulcete suspiria,
unitîs luctibûs minuite luctus,
fusîs lachrimîs grandævæ Matris redimite lachrimas.

 Enim

Enimverò

Lugendus est omnibus, qui omnibus decessit amandus.
Omnium occumbit mærori, qui omnium amori vixit.
Cujus vita omnium commodo, ejus mors omnium dispendio.

Meritissimus olim
Senior Vniversitatis Pater,

Senioris titulum ob consumptam in laboribus ætatem detulit,
Pater nunquam sustinuisset dici, nisi esset.

Venerandum ergo hoc nomen,

Paternîs in Universitatem curîs & gratiîs,
amore in Universitatis subjecta pensavit Paterno.

Esse solent,

qui in matris amorem viscera effundunt,
at bilem omnem in filiorum odia.
Amicissimi Romæ, Romanis unam cervicem precantur.
Speciosissimæ dilectionis inventô,
vividum corpus peroptant sine spiritu,
integram desiderant sine membris,
vitem florere volunt sine palmitibus,
fontem scaturire cupiunt sinè rivulis.

Tam abstracti amoris,

vel prorsùs ignarus, vel prorsùs impatiens,
desideratissimus Universitatis SENIOR PATER;
filios dilexit in Matre, Matrem adamavit in filiis.
Jagellonica à Pallade lacte eruditionis nutritus,
plurimîs nutricem suam aluit beneficiîs.

Animi culturam,

Regiis eximiam debuit Musis,
eandem nec sterilem, nec otiosam passus;
suarum in rem Musarum fructuosissimam fecit;
ipse

Ipſe mox,
in excolendis Academicâ Minervâ ingeniîs,
felix, ſedulus, & operoſus Chiron.
Laureîs inſignitus Academicîs,
doctarum hæc prœmia frontium,
prò teſſeris laborum habuit,
pro ſimbolis meritorum retinuit.
Novodvorſcianis admotus Claſsibus,
æſtum ſolis & pondus diei tulit viriliter,
ferreum laborem ſuſtinuit fortiter;
horarum intervalla vix aliquo cum reſpirio,
annos inibi plures, minimo ſine thædio,
laudabili Polonæ iuventutis inſtitutioni,
ſacravit, impendit, inſumpſit.
Poſt operoſa privatis in Scholis negotia,
publicus Philoſophiæ Profeſſor;
continuus in Licæo, aſsiduus in Cathedra,
ſublimitate animi Platonem, ſubtilitate æquavit Ariſtotelem.
Non ſolùm ad Ariſtophanis lucernã,
etiam ad Cleanthis lychnum pervigil,
clariſsimam eruditi animi lucem, nocturnis colligebat ex umbris,
quâ latentia rerum arcana,
inter diurnos ſolis detegebat ſplendores,
& ſole clariora reddebat.
Inter alta noctium conticinia,
continua Philoſopho mutis fuerat cum Magiſtris conſultatio,
quid ſuæ conſonum Cathedræ?
quid frequenti proficuum auditorio
prolaturus eſſet.

Magnorum iusta æstimatione laborum,
soliusq; eruditæ virtutis suffragiis,
Minus primò ac deinceps Majus ad Collegium vocatus,
magnîs utrumq; meritîs obtinuit, majoribûs ornavit.
Principi Planetarum,
Academicis in ascensibus similimus,
aliàs quò sublimior, eò operosior.
Artistica in Facultate,
verissimo illo & perfæcundo aliarum Seminario,
quantùm gradu altior, tantùm labore sublimior.
Philosophorum vice gemina DECANUS,
primus veniebat ad Stoam, redibat ex Stoa ultimus.
Dux Stagiritica in acie solertissimus,
Stadiodromus in arena operosissimus,
Princeps Philosophantium clarissimus,
lectos in Palladis militiam Tyrones, æquè ac Veteranos,
ad eruditas luctas, certamina, naumachias,
exempló, adhortatione, vigiliîs,
urgebat, accendebat, excitabat.
Gravissimo Decanali onere infractus,
biennali Philosophico Cursu indefessus,
nec Atlantis robori, nec Herculis viribus palmam concessit.
Publicîs ex universa Philosophia Thesibûs,
Illustrissimo MORSZTYNIANO dicatîs Nomini,
& sapientûm Virorum plausum,
& Gentilitium Mecænatis Sidus,
gloriosissimi sat illustrem coronã certaminis habuit.
Vladislavianus Professor,
Alumnorũ ingenia solicitè formabat ad Laureas,
feli-

feliciter formata insigniebat collatîs,
tot profectò de Universitate meritorum,
quot Virorum Academicas ad Laureas Promotor.
Theologus è Philosopho,
Solis abhinc Aquinatici Promus non Condus,
derivatum ab eo Angelicæ doctrinæ lumen,
promebat ubertim in Auditorum animos,
dispensabat largè in ingenia,
illuminando arcanorum obscura,
dilucidando mysteriorum umbrosa,
aperiendo abscondita & latentia,
in dilucidando felix, in explicando clarus, in edisserendo planus,
captu & intellectu facilimus.
Græcorum Argonautîs gloriosior,
vastum Aquinaticum mare, à littore transfretavit ad littus,
& tot per illud deduxit Jasones, quot Auditores.
Summam Thomisticam,
grandem illam Divinæ scientiæ epitomen,
summô totam expendit labore, totam extradidit summô studiô.
Sacramentalis, Speculativ9, Moralis,
Professor;
Cursus omnes Theologicos,
à calce (ut ajunt) perfecit ad Columnam.
Theologus irrequieto in Cathedris labore clarissimus,
consumatâ in Lycæo doctrinâ commendatissimus,
peractis quà domi, quà foris sacra in disputationibus ex scientia,
ratione solidus, argumentô fortis, resolutione validus,
aliàs
in omnem nodum & scrupum,
Nominis sui ALEXANDER.

Scholasticas præter Cathedras,
Sacra Deiparæ Virginis,
& Divorum Regni Indigetum Rostra,
disertus multoties Ecclesiastes,
implevit labore, ornavit eloquiô.
Meritissimo utraq; de Cathedra,
Theologo Professori,
Sceptrorum honorem detulit,
& se ipsum regendum Academicus submisit Orbis:
Ternis proinde vicibus,
MagnificusUnivesitatisRECTOR:
gessit sceptrigeros fasces ad honorem,
rexit Academicum Orbem ad gloriam,
præfuit literariæ Reipublicæ, ad bonum & incrementum commune,
guberniô suavi & forti,
regimine prudenti, tranquillo, & efficaci.
Novodvorscianarum præterea Classium,
& Cõtubernii simul Hierosolymitani
Provisor,
magna solicitudine curavit, magnâ curâ providit,
ut in illis Juventus institueretur proficuè,
in hoc studiis incumberet commodè,
utrobiq; formaretur,
probè, honestè, morigerè.
Theologica deinde Laurea,
quæ emeritum pridem anhelabat coronare Caput,
dum coronando fervidior incumbit, jam coronatum invenit.

admodum-

Admodùm enim;

Doctorales animos laureæ non faciunt,
sed duntaxat monstrant.

Minimùm interest,

ocyùsne an seriùs erudito cydaris contingat vertici,
cui ante serta & corymbos plena eruditio,
pulchra corona manet.

Ita prorsùs,

PERILLUSTRIS olim *DOMINUS*;
è communi Universitatis voto, & longiori præstolatione,
renuntiatus Sacræ Theologiæ DOCTOR,
cum jam talis,
à diuturno Theologico usu & exercitio esset,
priusquàm diceretur.

Doctoralis profectò umbra Laureæ,
non primò peperit, sed tantùm patentiorem reddidit,
sapientis animi Clarissimo in Theologo lucem,
at verò laborum Sacra in Cathedra minimè imminuit æstum.

Veteres apud Romanos,

lex militem à quinquagesimo anno non cogebat,
nec Senatorem à sexagesimo citabat.

Doctor noster Theologus,

nec grandævam ætatem, nec gravatas diuturnis laboribus vires,
ab operiosis Cathedræ voluit dispensari negotiis.
Quod semel Divinæ dixit Sacramentum scientiæ,
servavit illud sacrosanctè usq; ad vitæ finem,
retinuit fideliter usq; ad funera,
implevit perseveranter usq; ad cineres,
(& ut Academica paræmia fert)
non priùs manum de tabula movit, antequam corpus in urnam.

C dicen-

Docendi modum servávit duplicem;
unum oris, alterum operis,
unum sermonis, alterum facti,
quod intimabat verbô, exhibebat exemplô,
quod enarrabat dictîs, exemplificabat gestîs.
Doctor legis, simul & factor.
Vitam Doctoris, Moralē justè Theologiam dixisses:
Omnis illius actio, esse poterat rectè agendi norma,
omne opus, benè operandi regula.
Æternam Dei attentissimus ad legē,
omnia agendo juxta tale præscriptum,
omnia operando juxta ejusmodi amussim,
nil unquam egit, nihil operatus est,
quod DEO acceptum, quod hominibus non esset placitum;
Purâ, candidâ, illimîq; mente,
tractæ desuper originis tenacissimè memori,
inter terrenarum continuam vicissitudinem rerū,
motum, fluxum, inconstantiam,
constanti, solidâ, immobilî,
DEO Fini suo Ultimo affixus;
Honorem Ejus & Gloriam pro scopo,
beatitudinem æternam pro termino,
omni in opere statuens, omni in actione servans,
mortali in vita,
pulcherimè immortalitati velificavit.
Omne bonum à DEO, omne datum optimum desursum,
rectissimè dijudicans, recognoscens piissimè,
mentis eruditæ jubar, in Increatæ Sapientiæ Solem,
virtutum decora, in infinitæ sanctitatis refundebat fontē,
sua animi, corporis & fortunæ bona, Divina esse fatebatur nō sua.
excelsus

Excelsus hinc illi animus, non elatus,
sensus de se humilis & modestus,
scientia quâ sublimi claruit, sine tumore,
virtus quâ omnigena excelluit, sine fastu,
honor & dignitas quâ eminuit, sine ambitu,
multò magis sine aliorum despectu.
Apprimè compositam Magni Viri mentem.
nulla unquam philautia tenuit.
nullus propriæ gloriæ appetitus invasit.
Laudatissima quæq; agendo, laudem DEI quæsivit non suam.
Authoritatem Ei morum gravitas magnam,
decumana merita observantiam singularem,
honorabilis ætas distinctam conciliabat reverentiam,
esse verò voluit & profectò fuit,
penes gravitatem omnibus affabilis,
penes authoritatem singulis amabilis,
penes venerabile senium nemini non tractabilis,
talis nempè
SENIOR in Universitate PATER,
* quales olim Roma, nec gratis inter Patres recēsuit,
nec gratìs coluit.
Quantis præcelluerit virtutibus quæris?
Omnes concatenatas esse debere, docuit Theologus,
& concatenatas habuit omnes.
Doctor zelō fidei fervidus,
Mystes amore Dei flammeus,
Pietate Deiparam in Virginem,
Divosq; Cælorum Indigetes intensus,
charitate in proximum effusus,
in succurendo alienæ miseriæ celerimus,
in pauperes & egenos munificus.

* Patres Conscripti apud Romanos vocabantur, qui ærate, virtute, meritis & charitate in alios præcellebant. *Saresbius.*

Animi moderatione præcipua,
vultum cum Socrate eundem semper retinuit,
nec rebûs unquám elatus secundîs,
nec ejectus adversis.
Rationis imperiô, corporis servitiô utens.
pasionum quæ mundi Victoribus domnârunt victor,
non impotenti quandoq; caluit irâ, non odiô fervuit.
A Christo Salvatore
præceptæ pacis studiosissimus,
quæ non extinxit odia, certe non succendit.
quæ non sedavit dissidia, profectò non excitavit,
Cantiani illius observantisimus moniti:
Conturbare cave, non est placare suave,
Diffamare cave, nam revocare grave.
Neminem verbô lædere, neminem voluit offendere dictô
Os bilingve & simulationem exosus omnem,
nunquam mel in ore, fel gesit in corde,
nunquam cum Nerone sapuit, dum loqueretur cum Seneca.
Integritas mentis, probata fides, rerum activitas,
magnis ævô sui Academicis Viris,
DASZCZYNIO & MARKIEVIO,
adeò æstimatum, adeò fecit dilectum,
ut Eum ultimarum Præstitẽ voluntatũ delegerint,
& pientisimæ monumenta liberalitatis,
dexteritati Illius suum deducenda ad effectum commiserint.
Basilicæ ergò D. ANNÆ Cracoviæ Ædes,
ferratos elegantis operis postes,
Collegiata Sãcti FLORIANI Clepardiæ Ecclesia,
insignes Campanas & sonantia laudem Divinam Organa,
dictorum munificentiæ Testatorum,
curæ verò SZYMAKOVII & solicitudini debent.
Ne-

Ne autem
largum de alieno duntaxat putes;
erogavit in ornamenta Templorū aliena fideliter,
impendit in ejusmodi usus & decores propria munificè.
Chorum Divi Floriani minorem,
ære fulgenti texit,
Collegiatam Ejusdem,
non solùm meritis ornavit, etiam beneficiis auxit.
Parochialem in Nasiechovice Ecclesiam,
sumptibûs suìs à ruina levavit, accumulavit ornamentìs.
Quanta sit meritorum series? quibûs Universitatem,
quanta laborum? quibûs binam Facultatē implevit?
ex tempore mensuram sume.
*Annis sexdecem Philosophiam,
* Viginti sex Sacram profitendo Theologiam,
Annos quadraginta tres statione in Academica egit,
omnes magnîs meritis plenos, laboribûs distinctos.
Quanto in Universitatem amore fuerat?
exinde conjice, quòd eo uno,
omnes sit complexus amores.
Juratam semel fidem, retinuit Matri suæ semper.
Consuluit positæ in arduis educumatâ prudentiâ,
juvit rebus versatam in difficilibus sanô consiliô,
integritati Ejus curas sacravit omnes,
augmento solicitudinem & omnem impendit operam.
Privatum Illi bonum,
nunquam præhabitum communi,
ars una non recepta & penè ignota,
ea scilicet quæ Communitatibus damnosissima,
piscari in turbido.

D quam

* Annô 1711 ad 1mam Lauream promotus. Ex Metrica Facultatis Philosophicæ.
* 1727mo Theologus factus. Ex libro CConclusionum Collegii Majoris.

Quàm toto Academiæ adhæſerit corde,
vita Ejus in ſtatione Academica monſtravit tota;
quàm indiviſo ſuam in Matrem extiterit affectu,
teſtatus ſat luculenter,
cum gratias, cum beneficentiam ſuam,
& Academiæ partitus,
& ſingula Academica in Collegia diviſit.
* Latia ex lege & more;
aureo merebatur charactere ſcribi,
Senior Univerſitatis Pater,
grâtis profectò nunquam delebitur ex pectoribus,
perenni nunquam obliterabitur in memoria,
munificus Benefactor.
Provectæ ſeniô ætatis,
* *ceu quadam gloriæ coronâ inſignis,*
* *quodam dignitatis diademmate ornatus,*
rerum prudentiâ, uſu, & experientiâ plenus,
magna Academicis in veneratione,
Illuſtriſſimis Nominibus in honore,
CELSISSIMO PRINCIPI,
Cancellario Univerſitatis Faventiſſimo,
gratioſa in æſtimatione habitus.
Annos vixit ſeptuaginta quatuor,
In DEI cultu & ſervitio impensè,
literariis in laboribus intensè,
continuis de Academia in meritis irremiſsè,
totius in actionibus vitæ, laudabiliter, glorioſè.

Grava-

* Ab initio Urbis Nomina Senatorum, qui à ſenio dicebantur, aureis literis ſcripta. *Saresbius*
* Corona gloriæ ſenectus *Nazian: Orat.* 26. * Lex diademma, natura canos dignitatis ſignum fecit. *Plutar.*

Gravatus ætate, laboribûs fractus,

acerbiorem vim morbi sustinuit fortiter,
infirmi dolores corporis tulit patienter,
DEI voluntatem præstolatus constanter,

Virgini Sanctissimæ,

Divisq; Indigetibus commendavit se ferventer,
jactavit curam suam super Dominum totaliter,

in puncto,

à quo æternitas pendet, egit omnia viriliter.

Meruit amorem vivus, defunctus dolorem omniũ.
Tuo inprimis cordi primus incumbit dolor.

Magnifice, Perillustris & Admodùm Reverende Domine,

D. M. STANISLAE
PHILIPOWIC,

Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Collegii Majoris SENIOR PATER, Ecclesiarum S. FLORIANI DECANE, Curelovienfis SCHOLASTICE, Premykovienfis PRÆPOSITE, Alumnatûs Roszczeviani & Contubernii Staringeliani PROVISOR, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis PROCANCELLARIE

&

RECTOR.

Una Vos dies Academicos fecit,
una Philosohicîs, una Theologicîs coronavit Laureîs
dividi nunc à Te Ephestione hunc Alexandrum,
sejungi fatîs CONDOCTOREM,
avelli morte Compromotum,
ferre sine dolore neutiquam potes.

D2 Pars

Pars doloris altera pectoribus inhæret Vestris;
Perillustris & Admodùm Reverende Domine,
D. M. JOSEPHE
POPIOŁEK,
Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Collega Major, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI CANONICE, Parochialis Neo-Corcinensis PRÆPOSITE, Universitatis PROCURATOR Generalis.

&
Perillustris ac Admodùm Reverende Domine,
D. M. CASIMIRE
STĘPLOWSKI,
Sacræ Theologiæ PROFESSOR, Collega Major, S. FLORIANI CANONICE, Parochialis in Siepraw Curate, Seminarii Academico-Diœcesani PROVISOR.

Fidem Ille Vestram probavit vivus,
rectitudinem cordium æstimavit superstes,
teneritudini Vestræ supremum velle, & ultimas commisit tabulas.
Quantis superstiti in gratiis fuisti,
tantus Tibi super defuncto dolor,
Admodùm Reverende Domine,
JACOBE MOLĘCKI,
Archi-Presbyteralis B. MARIÆ Virginis Ecclesiæ Pœnitentiariorum SENIOR,
Offusis oculis spectamus omnes primi funera Doctoris,
ingemiscimus omnes super fatis
Meritissimi Senioris Patris.
Penna hæc,
quondam læta Doctoralem Theologo gratulata Lauream,
nunc ferali Ejus Cupresso indolens,
Requiem defuncto inarrat æternã.